MARTINI V. PAPÆ

REFORMATIO
IN CAPITE ET CURIA ROMANA,

A. 1418. circa finem mensis Januarii

IN CONCILIO CONSTANTIENSI

Nationibus oblata.

Ex antiquissimis Codicibus MSCtis

CÆSAREO VINDOBONENSI & DUCALI GOTHANO.

ARTIC. I.

De Numero, qualitate & Natione Dominorum Cardinalium. (a)

MSCt. Vind. *Papa decrevit, non fore ultra XXIV. nisi ex causa & propter honorem Nationis, qua Cardinalem non haberet.*

Cardinalium numerus erit moderatus.

STatuimus, ut deinceps *numerus Cardinalium* sanctæ Romanæ Ecclesiæ adeo sit *moderatus*, quod nec sit gravis Ecclesiæ, nec superflua numerositate vilescat.

Cardinales ex omnibus nationibus eligendi. Æqualitas regionum in Cardinalium electione spectanda. Cardinales sint XXIV.

Qvi *de omnibus partibus Christianitatis* proportionabiliter, quantum fieri poterit, assumantur. Ut notitia causarum & negotiorum in Ecclesia emergentium facilius haberi possit, & *æqualitas regionum* in honoribus Ecclesiasticis observetur.

Sic tamen, quod *numerum viginti* (b) *quatuor non excedant.* Nisi *pro honore nationum, qua Cardinales non habent*, unus vel duo pro semel de consilio & consensu Cardinalium assumendi viderentur (c)

Sint viri docti & prudentes. Doctores. Aliqui ex illustribus familiis.

Sint autem *viri, in scientia, moribus & rerum experientia* (d) *excellentes, Doctores in Theologia, aut in jure canonico vel civili.* Præter admodum paucos, qui *de stirpe regia vel ducali*, vel *magni* (e) *Principis*, oriundi existant, in quibus competens literatura sufficiat.

Non fratres, aut nepotes ex fratre vel sorore, alicujus Cardinalis viventis.

Nec de uno ordine mendicantium, *ultra unum.*

Non corpore vitiati, aut alicujus criminis vel infamiæ nota respersi.

Electionis Cardinalium modus.

Nec fiat eorum electio *per auricularia vota* solummodo, sed etiam *cum consilio Cardinalium*, collegialiter, sicut in (f) promotione Episcoporum fieri consvevit.

Qvi modus etiam observetur, quando aliquis ex Cardinalibus in Episcopum assumetur.

(a) *Labbeus in Append. Tomi XII. Conciliorum*, f. 1450. & *Schelstrate in Dissert. Antv. p.* 16. & *Actis p.* 272. *De numero & qualitate Dominorum Cardinalium, & modo promotionis eorum.*

(b) Labbeus & Schelstrat. XXIII.

(c) Labb. & Schelstr. *Viderint.*

(d) Labbeus & Schelstr. inserunt &

(e) Labbeus & Schelstr. *Principes.*

(f) Labbeus & Schelstr. *Pronunciatione.*

ARTIC. II. IV. V.

De Reservationibus Sedis Apostolicæ. (g)

MSCt. Vindob. *Ultra Reservationes juris duæ partes sint in dispositione Papæ, tertia verò Ordinariorum.*

De Collatione beneficiorum & gratiis Expectativis.

MSC. Vindob. *Papa non intendit dare, nisi ad unum beneficium.*

De Confirmatione Electionum.

MSC. Vind. *Si canonice factæ fuerint, Papa confirmet. Si non, Papa provideat.*

SAnctissimus noster Dominus Papa Martinus V. super *provisionibus* Ecclesiarum, monasteriorum, & beneficiorum quorumcunque, vult, intendit & mandat observare, quod, exceptis Ecclesiis, monasteriis, (h) dignitatibus, & cæteris beneficiis *reservatis in jure*, & designatis, & in Extravaganti, *Ad regimen*, modificata (i) quantum ad numerum officialium, (k) reducendem ad numerum consvetum, item quoad *Capellanos* (l) *honoris:* Qvod *beneficia eorum non sint reservata.* Nisi sint Magistri, Doctores vel Licentiati in Theologia, Jure Canonico, vel civili. *Qvorum dispositio ad Papam specialiter pertineat.*

Reservationes Papæ ordinariæ.

Capellani honoris.

In Ecclesiis & monasteriis fiant *electiones canonicæ.*

De *monasteriis* autem *non exemtis*, quorum [m] fructus secundum taxam communem decimæ extra Italiam & Hispaniam centum quinquaginta; In Italia vero & Hispania sexaginta librarum Turonensium (n) parvorum valorem annuum non excedant, fiant *confirmationes* &c. aut *provisiones per Ordinarios*, secundum canonicas sanctiones.

De monasteriis non exemtis.

De *monasteriis* vero (o) *excedentibus summas prædictas*, nec non Cathedralibus Ecclesiis, *electiones ad sedem Apostolicam deferantur:* Qvatenus ad tempus, constitutum *in Constitutione Nicolai III.* (*Sext. Decret. lib. I. tit. 6. c. 16.*) quæ incipit: *Cupientes*, [p] Papa expectet. Qvo transacto, si non fuerint præsentatæ, vel si præsentatæ minus (q) canonicæ fuerint, *Papa provideat:* Si vero (r) canonicæ fuerint, *Papa* eas *confirmet.* Nisi ex causa rationabili & evidenti, & de fratrum consilio, *de digniori & utiliori persona* duxerit providendum.

Quomodo electiones possint ad Papam devolvi.

(s) Proviso, quod confirmati & provisi per Papam nihilominus *metropolitanis* & aliis *præstent* debita *juramenta* & alia consveta.

De *monasteriis monialium* Papa non disponet, nisi sint exemta.

De monasteriis monialium.

Ad *Episcopales* autem *dignitates* (t) & supra, *nullus eligatur, nisi Doctor aut Licentiatus cum rigore examinis in Theologia, aut Jure Canonico vel civili.*

Ad Episcopatus esse eruditos promovendos.

De cæteris vero dignitatibus, officiis & beneficiis, secularibus & regularibus, ultra reservationes prædictas, *duæ partes sint in dispositione Papæ, & tertia pars remaneat in dispositione Ordinariorum.*

Ita

(g) Labbeus & Schelstrate: *De Provisionibus Ecclesiarum, Monasteriorum, Prioratuum, Dignitatum, & aliorum beneficiorum.*

(h) L. & S. omiserunt hic vocem *dignitatibus.*

(i) L. & S. *modificatum.*

(k) L. & S. *officiorum.*

(l) L. & S. hanc vocem *honoris* plane omiserunt.

(m) L. & S. *servitus suam taxationem decimæ vigesimæ Italiam & Hispanos CL.*

(n) L. & S. *per va.*

(o) L. & S. *non.*

(p) L. & S. *cupientes præterea expectat.*

(q) L. & S. *canonicè*

(r) L. & S. *Canonicè.*

(s) L. & S. *provisi & confirmati per Papam nihilominus Metropolitanum.* Schelstrat tamen in margine habet additum *Metropolitano.*

(t) L. & S. *ut supra.*

Ita, quod duo prima cedant *Papæ*, & tertium *Ordinario*, ita, quod per quamcunque aliam reservationem aut prærogativas non minuatur.

Item beneficia vacantia per resignationem simplicem, vel ex causa permutationis, neutra (*u*) Papæ competât. (*x*) Videatur in margine in Cancellaria.

Item, non vult, nec intendit *gratias expectativas* dare nisi ad unicum beneficium: Nisi in *Italia* & in *Hispania*, & in aliis partibus, ubi beneficia sunt exilia: Neque ad dignitates majores post Pontificales in cathedralibus, neque ad principales in collegiatis, neque ad prioratus conventuales. *De gratiis expectativis.*

Dignitates vero *majores post Pontificales* in cathedralibus, & principales in collegiatis, *nullis, nisi Doctoribus aut baccalaureis formatis in Theologia, vel Doctoribus aut Licentiatis in jure canonico vel civili*, conferri valeant. *Eruditorum prærogativa.*

Nec ad illas alius assumatur, nisi forte propter ipsorum tenuitatem infra mensem à die vacationis nullus inveniatur talis, qui (*y*) illa voluerit acceptare.

Cæteris autem *literatis* in prærogativis (*z*) datarum providebitur.

Item, quod *in pari data gratiarum expectativarum* ad [*] eandem collationé, *graduatus non graduato præferatur*, & in gradibus (*aa*) paribus *diœcesanus præferatur non diœcesano.*

(*bb*) Multorum temporum experientia docuit, quod *dilationes eligendi*, aut aliàs providendi Ecclesiis, monasteriis vel aliis dignitatibus, quibus de jure vel consvetudine per electionem est providendum, quæ à nostris prædecessoribus etiam in generalibus conciliis statuuntur, tam prætextu vocationis (*cc*) absentium, quàm aliàs, nimium diuturnas damnationes, vexationes, ac onera gravia expensarum inducant. *De dilata electione.*

Qvibus providere volentes, *sacro approbante concilio statuimus*, ut deinceps vacantibus Ecclesiis, (*dd*) monasteriis & dignitatibus prædictis, ii ad quos [*ee*] pertinebit eligere, à die notæ vacationis (*ff*) in Ecclesia, monasterio sive loco *per viginti dies* (*gg*) *continuos absentes* [*hh*] *expectent.* Qvibus [*ii*] transactis, hi, qui præsentes fuerint, absque alia vocatione absentium, libere ad electionem procedant. *De maturanda electione.*

Qvi si *infra quadraginta dies* à die notæ vacationis prædictæ non elegerint, locum habeant statuta super hoc in concilio generali. Qvæ & alia [*kk*] jura circa hoc edita volumus in suo robore permanere.

ARTIC. III.

De Annatis & communibus servitiis & minutis. (ll)

MSC. Vindob. *Papa decrevit, solvantur fructus primi anni, & male taxata juste taxentur.*

PRo *sustentatione summi Pontificis* & fratrum suorum, sanctæ Romanæ Ecclesiæ *Cardinalium*, de Ecclesiis & *monasteriis virorum* duntaxat, vacantibus *De Fructibus primi anni.*

(*u*) L. & S. *neutri parti computentur.* Facile scriptum primitus à librario *neutri* pro *neutra.* Inde in MSCto Gothano in margine hic additur ad præsentem Constitutionem, *indiget declaratione.*

(*x*) L. & S. sequentia non referunt.

(*y*) L. & S. *illam.* (*z*) L. & S. *literarum.* [*] L. & S. *earum.*

[*Aa*] L. & S. omiserunt hanc vocem *paribus.*

[*bb*] Apud Labbæum & Schelstr. novum hic concipitur statutum, sed nullus titulus præmittitur præter *Decretum.*

[*cc*] L. & S. commode hic inserta habent: *absentium, quàm aliàs, nimium diuturnas damnationes, vexationes*, & sic porro. Quæ paucula librarii lapsu ex *MSCto Goth.* omissa erant.

[*dd*] L. & S. omiserunt aliqua usque ad *ii.* [*ee*] L. & S. *pertinebat.*

[*ff*] L. & S. *ab* [*gg*] L. & S. *continuè.* [*hh*] L. & S. *expectant.*

[*ii*] L. & S. *elapsis.* [*kk*] L. & S. omiserunt *jura.*

[*ll*] Labbæus & Schelstr. *De Annatis, Rubrica.*

Communia servitia.

bus & vacaturis, solventur *pro fructibus primi anni* à die vacationis, summæ pecuniarum *in libris cameræ Apostolicæ taxatæ*, quæ *communia servitia* nuncupantur.

De taxis iniquis moderandis.

Si quæ vero male taxata sunt, juste (*mm*) retaxentur.

Et provideatur specialiter *in gravatis regionibus*, secundum qualitatem rerum, temporum, & regionum, *ne nimium prægraventur.* Ad quod dabuntur *commissarii*, qui diligenter inquirant & [*nn*] retaxent.

Quando taxæ Ecclesiarum solvendæ.

Taxæ autem prædictæ *pro media parte* infra annum (*oo*) à die habitæ possessionis solventur: Et *pro media parte alia* infra sequentem annum.

Si bis in anno Ecclesia vacet.

Et, *si bis in anno vacaverint, semel* bene *solvetur.*

Nec debitum hujusmodi in successorem in Ecclesia vel monasterio *transeat.*

De cæteris autem dignitatibus, personatibus, officiis & beneficiis, secularibus & regularibus quibuscunque, quæ autoritate sedis Apostolicæ conferentur, vel providebitur de eisdem, præterquam vigore gratiarum expectativarum aut causa permutationis, *solvatur valor fructuum primi anni pro media parte infra sex menses* à die (*pp*) habitæ possessionis: Et *infra alios sex menses* pro alia (*qq*) parte.

Successores ne onerentur antecessoris debito.

Et *debitum hujusmodi in successorem* (*rr*) *in beneficio non transeat.*

ARTIC. VI. & VII.

De causis in Romana curia tractandis vel non. (ss)

MSC. Vindob. *Papa decrevit, cetera, quæ de jure ad curiam non pertinent, in ea non tractari.*

De Appellationibus ad Romanam Curiam.

MSC. Vindob. *Injuste seu frivole appellans ab interlocutoria vel gravamine, ultra condemnationem expensarum & interesse, non audiatur.*

Quæ causæ ad curiam Ro. spectent.

CAusæ, quæ ad forum Ecclesiasticum *de jure* vel *consuetudine* non pertinent, per curiam Romanam non (*tt*) recipiantur, de illis cognoscendo in curia, vel extra committendo, nisi de consensu partium.

(*uu*) *Quæ* vero *ad forum Ecclesiasticum*, ut præmittitur, *pertinent*, & de jure sunt per appellationem aut aliàs ad Romanam curiam devolutæ, aut de sua natura in illa tractandæ, tractentur in ea.

Quæ non.

Cæteræ committantur in partibus.

Nisi forte pro causæ, aut personarum qualitate illas tractare in curia expediret pro justitia consequenda, vel de partium consensu in curia tractarentur.

Causæ matrimoniales.

Matrimoniales tamen causæ in prima instantia præter appellationem *non committantur in curia*, nisi in (*xx*) causis proxime dictis.

Apellationes frustratoriæ.

Item *ad refrenandum appellationes frustratorias*, quæ ante definitivas sententias interponuntur, ordinamus, quod (*yy*) *injuste seu frivole appellantes* ab interlocutoria vel gravamine, ultra condemnationem expensarum, damnorum & interesse, *in decem florenos*, si appellatio interponatur in curia, & *in viginti*, si de partibus ad curiam parti appellatæ, *condemnetur.* Et quod super eadem (*zz*) locutoria vel gravamine *secundo appellare* non liceat, nisi haberent vim definitivæ.

AR-

[*mm*] L. & S. *taxentur.*

[*nn*] L. & S. *taxent.*

[*oo*] Labb. & Schelst. plura hic omiserunt, hoc ordine verbis expressis: *Taxæ autem prædictæ pro media parte infra annum, etsi infra annum bis vacaverit, semel tantum solvetur*, & sic porro.

[*pp*] L. & S. *adeptæ.*

[*qq*] L. & S. *media parte.*

[*rr*] L. & S. omiserunt *in curia, vel extra.*

[*ss*] Labbæus & Schelstr. *De causis tractandis in Ro.*

[*tt*] L. & S. *non arripientur.*

[*uu*] L. & S. *Qui non.*

[*xx*] L. & S. *casibus*

[*yy*] L. & S. *injustæ seu frivolæ appellationes.*

[*zz*] L. & S. *interlocutoria.*

ARTIC. IX.

De Exemtionibus & Incorporationibus tempore Schismatis factis. (aaa)

MSC. Vind. *Papa revocat.*

Quas exemtiones Papa velit revocatas.

Attendentes, quod à tempore obitus felicis recordationis Gregorii XI prædecessoris nostri nonnulli Romani Pontifices, aut pro Romanis Pontificibus se gerentes, & in suis diversis obedientiis reputati, *pro sua voluntate*, aut *pro importunitate petentium*, nonnullas Ecclesias, monasteria, capitula, conventus, prioratus, beneficia, loca & personas, *à jurisdictionibus Ordinariorum* tempore dicti Gregorii nullatenus exemtas vel exemta, (*bbb*) de novo à dictorum ordinariorum jurisdictionibus *exemerunt*, *in grave ipsorum ordinariorum præjudicium:* Nos volentes hujusmodi præjudicio obviare, omnes *exemtiones* Ecclesiarum, monasteriorum, capitulorum, conventuum, præpositurarum, beneficiorum, locorum & personarum quarumcunque, etiam, si ex prædictis aliquod monasterium fuerit exemtum, & postea subjectum monasterio diversi habitus vel coloris, à tempore dicti obitus Gregorii XI *per quoscunque, pro Romanis Pontificibus se* (*ccc*) *gerentes, de novo factas*, quæ tamen ante exemtionem hujusmodi nulla exemtione gaudebant, sed simpliciter subjiciebantur (*ddd*) Ordinariorum jurisdictioni, nullumque ante id tempus initium habuerunt: Exceptis etiam exemtionibus, quæ uni toti ordini, & quæ Ecclesiis, monasteriis, capitulis, conventibus, beneficiis, (*eee*) sive locis, à prædicto tempore sub exemtionis modo aut conditione fundatis, aut contemplatione novæ fundationis, seu universitatibus studiorum generalium, aut per modum confirmationis, augmenti aut additionis factæ fuerunt aut concessæ, aut super quibus, præsentibus & auditis, quorum intererat, autoritate competente ordinatum fuit, seu in quibus ordinarii consenserint: *Sacro approbante concilio, revocamus*, Ecclesias, monasteria & alia prædicta in pristinam (*fff*) jurisdictionem reducentes.

Ordinariorum præjudicium ex exemtionibus.

Jus Ordinariis restitutum.

Cæteris autem *exemtionibus, ante obitum* dicti *Gregorii* (*ggg*) *habitis* vel concessis, nullum volumus per hoc præjudicium generari.

Revocamus etiam omnes *uniones* & *incorporationes*, à tempore obitus Gregorii XI. per eos, qui pro summis Pontificibus in eorum obedientiis reputati fuerunt, factas seu concessas, *quæ effectum sortitæ non fuerunt.*

Uniones Ecclesiarũ à Papa revocatæ.

Item, omnes etiam, quæ effectum sortitæ fuerunt, *de perpetuis vicariis factas*, & concessiones omnes Jurispatronatus seu præsentandi, factas laicis, Ecclesiarum seu beneficiorum, quæ non fundaverunt, (*hhh*) nec dotaverunt.

Circa alias verò *uniones, quæ effectum jam sortitæ fuerunt*, cum certa regula dari non possit, *ad querelas* eorum, quorum (*iii*) intererit, si non ex rationabilibus causis vel veris factæ fuerunt, licèt Apostolicæ sedis autoritas [*kkk*] intervenerit, *revocabimus* eas, justitia mediante, vel aliter secundum juris exigentiam providebimus. [*lll*]

[*Aaa*] Labbæus & Schelstr. De Exemptionibus.

[*bbb*] L. & S. *De novo apud dictorum ordinariorum jurisdictionem exercuerunt.*

[*ccc*] L. & S. *se gerentibus.* [*ddd*] L. & S. *ordinariæ.*

[*eee*] Labbæus & Schelstr. omiserunt iterum plura, hac vocum serie: *beneficiis fundatoribus sive universitatibus*, & sic deinceps.

[*fff*] L. & S. inserunt *Ordinariorum.*

[*ggg*] Apud Labbæum & Schelstr. & hic multa omissa à voce *Gregorii* usq; ad vocem *Gregorii XI.* hoc ordine: *ante obitum dicti Gregorii XI. per eos, qui*, & sic porro. [*hhh*] L. & S. *seu* (*iii*) L. & S. *intererat.*

(*kkk*) L. & S. *supervenerit*

(*lll*) L. & S. addunt, *vel si nationibus placet, fiat revocatio pro præsenti.*

ARTIC. X.

De Commendis.

MSC. Vindob. *Monasteria & prioratus, habentes ultra X. religiosos, nulli dentur.*

[*mmm*] ORdinat idem Dominus noster Papa, quod inposterum monasteria, aut magni prioratus conventuales, habere consueti his temporibus ultra decem religiosos in conventu, & officia claustralia, dignitates majores post Pontificalem in Cathedralibus, sive Ecclesiæ parochiales, *nulli* prælato, etiam (*nnn*) Cathedrali, *dentur in Commendam.*

De Commendis per Papā restrictis.

Datæ autem & dati [*ooo*] quamprimum commendatariis loco illorum de (*ppp*) æquitate providebitur, post pacificam possessionem adeptam (*qqq*) illos dimittant.

Una etiam Ecclesia metropolitana uni Cardinali vel Patriarchæ concedi poterit, provisionem aliam sufficientem non habenti.

ARTIC. XI.

De fructibus medii temporis.

MSC. Vind. *Quando Ecclesia vacat, Papa juris & consuetudinis & privilegii dispositioni relinquit.*

Fructus Ecclesiarū tempore vacationis Papam sibi nolle vindicare.

ITem sanctissimus Dominus noster *fructus* & proventus Ecclesiarum, monasteriorum & beneficiorum, *vacationis tempore obvenientes* (*rrr*) relinquit, illosque sibi vel Apostolicæ cameræ prohibet (*sss*) applicare.

ARTIC. XII.

De non alienandis bonis Romanæ & aliarum Ecclesiarum. (*ttt*)

MSC. Vind. *Papa revocat omnes tales factas citra Papam Gregorium XI.*

Alienationes rerum sacrarum per Papā revocatæ.

VOlentes (*uuu*) indemnitatibus providere, omnes *alienationes rerum immobilium* & jurium, nec non concessiones vicariatuum, terrarum, civitatum, & dominiorum Romanæ Ecclesiæ, ultra quinquennium sine *Concilii consensu*, & subscriptione majoris partis Cardinalium illius obedientiæ: Nec non omnes *alienationes rerum* similium *aliarum Ecclesiarum*, monasteriorum & aliorum beneficiorum sine consensu libero rectorum & ministrorum eorundem: Per quoscunque pro Romanis Pontificibus se gerentes à tempore felicis recordationis Gregorii XI prædecessoris nostri factas & concessas, *sacro approbante concilio* penitus *revocamus.*

Alienationes verò, per Prælatos, rectores aut ministros, de rebus similibus Ecclesiarum, monasteriorum, aut aliorum beneficiorum suorum, præter aut contra juris formam factas, *nullas* fuisse & *esse declaramus*, & etiam *revocamus*: Res ipsas, terras, civitates, atque dominia, ad jus & proprietatem Ecclesiarum, monasteriorum & beneficiorum ipsorum reducentes.

Regimen terrarum Ro. Ecclesiæ quibus committendum.

Volumus etiam ac intendimus, quod *regimina terrarum*, provinciarum, civitatum & dominiorum *Ecclesiæ Romanæ*, quas pro tempore possidebit, nulli *nisi* Car-

(*mmm*) L. & S. *Ordinavit.* (*nnn*) L. & S. *Cardinali dentur in commendam.*
(*ooo*) L. & S. *quanquam* (*ppp*) L. & S. *æquivalenti* (*qqq*) L. & S. *illas.*
(*rrr*) Apud Labb. & Schelstr. inserta sunt *juris & consuetudinis vel privilegii dispositioni relinquit*, & sic ulterius.
(*sss*) Legebatur *appellare*, manifesto calami lapsu, pro *applicare*, apud L. & S. recte scripto.
(*ttt*) Labbæus & Schelstr. *De non alienandis & alienatis rebus Ecclesiasticis.*
(*uuu*) L. & S. *Ecclesiarum* inserunt.

Cardinali, vel Prælato Ecclesiastico, & ultra quam in iis, quæ requirunt ministeria laicorum: Sed nec *vicariatus terrarum Ecclesiæ Romanæ* ultra triennium & de Cardinalium consilio *concedantur* vel etiam committantur.

De cæteris autem alienationibus, si qui se gravari senserint, querelam exponant apud sedem Apostolicam, per quam, ut fieri poterit, providebitur de remedio competenti.

ARTIC. XIII.

Propter quæ & quomodo Papa possit corrigi & deponi (xxx)

MSC. Vind. *Nihil respondit.*

NOn videtur, prout nec visum fuit in pluribus nationibus, circa hoc aliquid novum statui vel decerni.

ARTIC. XIV.

De Extirpatione Simoniæ. (yyy)

MSC. Vind. *Ordinati, sint suspensi. Electiones sint nullæ.*

MUltæ (zzz) contra simoniacam pravitatem (*aaaa*) ab olim factæ sunt constitutiones, quibus morbus ille non potuit extirpari. Nos volentes, ut possumus, attentius providere, *sacro approbante concilio* declaramus, quod *ordinati simoniace* ab executione suorum ordinum sint eo ipso *suspensi.*

De Simonia per Papā extirpanda.

Electiones autem, postulationes, confirmationes, & quævis provisiones Ecclesiarum, monasteriorum, dignitatum, personatuum, officiorum, & beneficiorum Ecclesiasticorum quorumcunque, seu ad illa, nullæ sint ipso jure, nullumque per illas jus cuiquam acquiratur. Nec faciat fructus suos. Sed ad illorum restitutionem, tanquam inique ablatorum, percipientes teneantur.

Statuentes insuper, quod *dantes & recipientes* ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, etiamsi Pontificali aut Cardinalatus præfulgeant dignitate.

Districtius inhibentes, juxta etiam antiqua statuta canonum, quod pro ordinibus, etiam clericali tonsura, *ordinans nihil recipiat*, cum ad id sint fructus Ecclesiastici deputati. Qvodque *notarii* pro literis super ordinum prædictorum collatione, pro prima clericali tonsura [*bbb*] non ultra unum, pro quatuor minoribus ordinibus unum, pro quolibet sacro ordine (*cccc*) unum grossum de camera, quorum decem faciunt florenum de *camera*, recipiant. Qvod si contra (*dddd*) faciant, canonicis subjaceant institutis.

ARTIC. XV.

De Dispensationibus.

MSC. Vind. *Omnes revocat, præter illas, quæ secundum formam* c. Cum ex eo, *facta sunt.*

QVia beneficia propter officia conceduntur, reputamus *absurdum, ut, qui beneficia obtinent, recusent aut negligant officium exercere.* Nos igitur *sacro approbante concilio* omnes *dispensationes*, à quibuscunque pro Romanis

(*xxx*) Hic est articulus ac paragraphus, quem Labbeus in Excerptis ex Codice Capranicensi non invenit, vel omisit. Quod Schelstrate aliquoties notavit in *Actis*, p. 71. & 273. & restituit.

(*yyy*) Labbæus & Schelstrat. De Simoniacis.

(*zzz*) L. & S. *per*

(*aaaa*) L. & S. *olim ab Johanne facta.*

(*bbbb*) L. & S. omiserunt voces *non ultra.*

(*cccc*) Labbæus insertum habet *similiter*, uti & Schelst.

(*dddd*) L. & S. *fecerint.*

Dispensationes per Papam revocatæ.

nis Pontificibus se gerentibus concessas, quibuscunque (*eeee*) electis, confirmatis seu provisis ad Ecclesias, monasteria, prioratus conventuales, diaconatus, archidiaconatus, & alia quæcunque beneficia, quibus certus ordo deditus est, vel annexus, aut de illis: Ne munus consecrationis Episcopi seu benedictiones habentes, aut ceteros debitos aut annexos ordines suscipiant: Præter (*ffff*) illas, quæ secundum formam capituli, *Cum ex eo* (*Sexto Decret. lib.* 1. *tit.* 6. *c.* 34.) factæ sunt, *revocamus.*

Statuentes, ut, qui de præsenti illas vel illa obtinent, infra sex menses à die publicationis hujusmodi constitutionis nostræ, & quæ inposterum obtinebunt, infra annum à die possessionis adeptæ *se faciant consecrari aut benedici*, sive ad alium debitum ordinem promoveri. Alioquin sint ipsis Ecclesiis, monasteriis, dignitatibus, personatibus, officiis & beneficiis prædictis, ipso jure privati. Et aliis libere conferantur, aut provideatur. Cæteris constitutionibus circa hæc editis in suo robore duraturis.

(*gggg*) Et quia multi *Episcopi*, & eorum superiores atque *Abbates*, *in quibus major debet esse solicitudo curæ &* (*hhhh*) *officii pastoralis*, plerumque extra Ecclesias, diœceses & monasteria commorantur, propter quod *negligitur officium pastorale: Eodem approbante concilio* statuimus, quod *Episcopi* & superiores hujusmodi, in suis Ecclesiis vel diœcesibus, *Abbates* autem in suis monasteriis *personaliter resideant.*

Episcopi & Abbates in suis sedeant Ecclesiis.

A qvibus si per sex menses (*iiii*) continuos absfuerint, à perceptione fructuum & proventuum (*kkkk*) eorundem *per annum* integrum, & si per annum absfuerint, ab eorum fructuum & proventuum perceptione *per biennium* sint privati.

Mulcta absentiæ.

Qvi fructus & proventus in utroqve casu cathedralibus Ecclesiarum & conventibus monasteriorum applicentur.

Si vero *per biennium abfuerint*, ipsis Ecclesiis & monasteriis decernimus esse privandos. Nullumque eis in aliquo casuum prædictorum cujusvis generalis studii privilegium suffragetur, nec illis gaudeant quovis modo.

Ordinat Dominus noster, quod ad Ecclesias cathedrales, monasteria, prioratus conventuales, aut parochiales Ecclesias, *super defectum ætatis ultra triennium nullatenus dispensetur.* Nisi forte in Ecclesiis cathedralibus ex ardua & evidenti causa de consilio Cardinalium, seu majoris partis illorum, videretur aliter dispensandum.

De dispensatione super defectu ætatis.

Item Dominus noster *in gravibus & arduis casibus* sine Consilio Cardinalium *non intendit dispensare.* [*llll*]

Circa *beneficia incompatibilia* obtinentes, in quibus multi reperiuntur excessus, *constitutionem* felicis recordationis *Johannis XXII.* prædecessoris nostri, quæ incipit: *Execrabilis*, (*Extravag. Joh.* 22. *tit.* 3. *c.* 1.) Salva moderatione, in eo, quod in ea dicitur de *uno* curato beneficio cum non curato (*mmmm*) incompatibili, tamen licite retinendis, *ad duo* etiam curata, dummodo non sint duæ parochiales Ecclesiæ, *extendimus*, *sacro approbante concilio* innovamus, atque contenta in illa secundum illius formam & tenorem de novo statuimus, & etiam ordinamus, contenta in illa volentes diligentius observari.

Beneficia incompatibilia restricta.

ARTIC.

(*eeee*) L. & S. *Clericis consecratis seu provisis.*
(*ffff*) L. & S. *illos, qui*
(*gggg*) Apud Labbæum & Schelstr. nova hic concipitur constitutio, nullus verò titulus ponitur præter *Decretum.*
(*hhhh*) L. & S. *Pontificalis officii.*
(*iiii*) L. & S. *continuè*
(*kkkk*) Apud Labbæum & Schelstr. omissa sequentia omnia usque ad *per biennium.*
(*llll*) Apud Labb. & Schelstr. hic paragraphus cum sequenti ita immediatè connectitur: *dispensare circa beneficia*, & sic porro
[*mmmm*] Labbeus & Schelstr. *compatibili.*

ARTIC. XVI.

De Provisione (nnnn) *Status Papæ & Cardinalium.*

MSC. Vindob. *Non videtur aliter fore providendum quam hucusque provisum est, scil. per beneficia & servitia communia.*

ROmano Pontifici & sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus *pro illorum sustentatione*, rebus Romanæ Ecclesiæ stantibus, ut sunt, non videtur aliter posse provideri, quam huc usque factum est, scilicet *per beneficia & communia servitia*, quæ *vacantia* nuncupantur.

Vacantia pro Papæ sustentatione.

Verùm *circa beneficiorum qualitatem* taliter duximus providendum, quod *nulli Cardinali* monasterium, prioratus conventualis, ultra numerum decem religiosorum secundum moderna tempora habere consvetus, nulla major dignitas post Pontificalem in cathedralibus aut parochialibus Ecclesiis, nullum officium claustrale, nullum Xenodochium, hospitale, eleemosynaria, seu leprosaria, *in titulum vel administrationem conferantur.*

Et, si quæ talia nunc obtinent, (oooo) quamprimum Papa loco illorum de alio æquivalente providebit, illa dimittere teneantur, sicut superius *de commendis* est dictum.

Proviso, quod nullus Cardinalis de proventibus Ecclesiasticis non habeat ultra valorem *sex millium florenorum.*

Statuimus, quod singuli Cardinales, monasteria, aut prioratus conventuales, habentes ultra numerum XII. religiosorum secundum consvetudinem temporum modernorum, habeant in illis *vicarium generalem in spiritualibus & temporalibus religiosum.*

Vicarius generalis in spiritualibus.

Poterunt tamen iidem Cardinales *ad regimen temporalium* sub (pppp) dicto vicario alias personas constituere. Et nitentur, quantum poterunt, per Ecclesiasticas personas hoc agere.

(qqqq) Constitutas tamen ad regimen hujusmodi, dictus *vicarius*, sine consensu Cardinalis non valeat (rrrr) revocare.

In minoribus autem beneficiis constituant *vicarium in spiritualibus.* Cætera per alias personas: Et quantum poterunt, ut præmittitur, per *Ecclesiasticas* hoc faciant.

Nulli autem laico monasteria aut beneficia hujusmodi locent, vel ad firmam aut (ssss) arradimentum dent.

Teneantur etiam (tttt) in illis tenere numerum religiosorum, secundum moderna tempora consvetum: Et maxime (uuuu) quot erant, antequam Cardinales ipsi illa monasteria aut beneficia obtinerent. Nisi postmodum fructus & reditus eorum sine culpa Cardinalium essent adeo diminuti, quod ad sustentationem Prioris & tot religiosorum non sufficerent.

Superiores autem dictorum monasteriorum & prioratuum, *quibus jus visitandi competit*, illa poterunt visitare, & defectus charitative corrigere. Et quæ in illis reparanda viderint aut (xxxx) collapsa maxime, ac per culpam Cardinalium vel (yyyy) suorum ministrorum, tam in spiritualibus quam in temporalibus, illa gubernatoribus ipsorum (zzzz) injungant reparari, secundum facul-

(nnnn) Labbeus & Schelstr. *De Provisione Papæ & Cardinalium.*
(oooo) L. & S. *quare primum.*
(pppp) L. & S. *dicta vicaria.*
(qqqq) L & S. *Constitutus.*
(rrrr) L. & S. *removeri.*
(ssss) L. & S. *arrendamentum.*
(tttt) L. & S. *illi tenere unum religiosum.*
(uuuu) L. & S. *qui.*
(xxxx) L. & S. *relapsa.*
(yyyy) L. & S. *eorum.* [zzzz] L. & S. *injungatur.*

facultatem monasteriorum & beneficiorum hujusmodi: Deducto, quantum Abbas vel Prior, si essent, secundum communem modum pro statu suo expenderent.

Qvod si in conficiendis his, quæ in præmissis injuncta fuerint, gubernatores prædicti fuerint negligentes: Superiores ipsi tantum sedi Apostolicæ & Cardinalium dignitati deferant, quod semel summo Pontifici & Cardinalibus ipsis studeant intimare. Qui super his providere procurabunt.

Qvod si non fecerint infra terminum competentem, *superiores ipsi sua autoritate provideant*, secundum jura (*aaaaa*) & canonicas sanctiones: Procedendo contra gubernatores ipsorum principales &c. Quemadmodum facere possent, si per Abbates vel religiosos dicta monasteria vel prioratus obtinerentur. Quocunque privilegio non obstante.

ARTIC. XVII.

De Indulgentiis. (bbbbb)

MSC. Vind. *Cavebit Dominus Papa imposterum nimiam indulgentiarum effusionem, ne vilescant, & præteritas revocat, à tempore Gregorii XI. factas.*

CAvebit Dominus noster Papa in futurum *nimiam indulgentiarum effusionem*, ne vilescant.

Indulgentia limitata.

Et in præteritum concessas ab obitu Gregorii XI. citra *perpetuas*: Item quæ dicuntur *de pœna & culpa* sive *de plena remissione*, concessas locis: Item omnes concessas *ad instar alterius indulgentiæ*: Revocat & annullat.

ARTIC. XVIII.

De Decimis imponendis.

MSC. Vind. *Papa nullas imponet imposterum, & prohibet ab inferioribus imponi, & impositas revocat.*

PRæcipimus & mandamus, jura, quæ prohibent inferioribus à Papa, *decimas & alia onera Ecclesiis* & personis Ecclesiasticis imponere, districtius observari.

Decimas Ecclesiis olim impositas à Pontifice, non quærendas esse.

Per Nos autem *nullatenus imponentur*: Qvod & nostris successoribus (*ddddd*) indicamus, non imponi, generaliter super totum clerum: (*eeeee*) Nisi ex magna & ardua causa, & utilitate universalem Ecclesiam concernente, & de consilio ac consensu, & subscriptione fratrum & prælatorum, quorum consilium faciliter haberi poterit: Nec specialiter in aliquo regno vel provincia, inconsultis Prælatis illius regni vel provinciæ.

Tenor constitutionis,

Ad regimen.

BENEDICTUS Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Ad regimen Ecclesiæ generalis quanquam immeritè superna dispositione vocati, gerimus in nostris desideris, ut debemus, quod, per nostræ diligentiæ studium, *ad quarumlibet Ecclesiarum & monasteriorum regimina, & alia beneficia Ecclesiastica*, juxta Domini beneplacitum & nostræ intentionis affectum, *viri assumantur idonei, qui præsint & pro-*

(*aaaaa*) Apud Labbeum & Schelst. omissa plurima, à voce *jura* usque ad *facere possent*, hoc verborum ordine, *secundum jura facere possunt.*

(*bbbbb*) Labbeus & Schelst. *De Indulgentiis fiat decretum.*

[*ccccc*] Labbeus & Schelstr. *De Decimis & aliis oneribus Ecclesiasticis.*

[*ddddd*] L. & S. *judicamus.*

(*eeeee*) L. & S. *non ex magna* &c.

& prosint committendis eis Ecclesiis, monasteriis & beneficiis prælibatis.

Præmissorum namque consideratione inducti, & suadentibus nobis aliis rationabilibus causis, nonnullorum prædecessorum nostrorum, Romanorum Pontificum vestigiis inhærentes: Omnes patriarchales, ArchiEpiscopales & Episcopales Ecclesias, & etiam monasteria, prioratus, dignitates, personatus & officia, nec non canonicatus, præbendas, & Ecclesias, cæteraque beneficia Ecclesiastica, cum cura vel sine cura, secularia & regularia, quæcunque & qualiacunque fuerint, etiamsi ad illa personæ consueverint seu debuerint per electionem, seu quemvis alium modum assumi, nunc apud sedem Apostolicam quocunque *vacantia* & in posterum *vacatura*:

Nec non per depositionem vel privationem seu translationem, (†) per felicis recordationis Johannem Papam XXII prædecessorem nostrum, seu ejus autoritate factas, & per nos aut autoritate nostra in antea faciendas ubilibet: Nec non ad quæ forsan, tempore jam dicti prædecessoris, aliqui in concordia vel discordia electi vel postulati fuerint, quorum electio cassata, seu postulatio repulsa, vel per eos facta renunciatio, & admissa per ipsum prædecessorem vel autoritate ipsius extiterint, seu quorum electorum vel postulatorum, & in antea eligendorum vel postulandorum aut renunciantium electionem cassari, vel postulationem repelli, aut renunciationem admitti per nos aut autoritate nostra continget, apud sedem prædictam vel alibi ubicunque: Ac etiam per obitum Cardinalium ejusdem Ecclesiæ Romanæ ac Officialium dictæ sedis, videlicet Camerarii, Vice-Cancellarii, notariorum, auditorum literarum contradictarum, & Apostolici palatii causarum auditorum, correctorum, scriptorum literarum Apostolicarum, ac pœnitentiarii præfatæ sedis (††) ejusdem: Et etiam quorumcunq; legatorum, sive nunciorum, ac in terris Ecclesiæ Romanæ rectorum, & thesaurariorum, per dictum Johannem prædecessorem vel nos specialiter deputatorum seu missorum hactenus, vel à nobis deputandorum aut mittendorum imposterum, nunc *vacantia* & in antea *vacatura*, ubicunque dictos legatos vel nuncios, seu rectores aut thesaurarios antequam ad Romanam curiam redierint, seu venerint, rebus eximi contigerit ab humanis:

Nec non quorûlibet, pro quibuscunq; negotiis ad Romanam curiam venientium, vel etiam recedentium ab eadem, si in locis à dicta curia ultra duas dietas legales non distantibus jam forsitan obierint, vel eos in antea transire contigerit ab hac luce: Et etiam simili modo quorumcunque curialium, peregrinationis, infirmitatis, aut recreationis, seu alia quacunque causa ad quævis loca secedentium, si eos antequam ad dictam curiam redierint, in locis ultra duas dietas ab eadem curia, ut præmittitur, non remotis, dummodo eorum proprium domicilium non existat ibidem, jam forsitan decesserint, vel in posterum eos contigerit de medio summoveri, nunc per obitum hujusmodi *vacantia*, & in posterum *vacatura*:

Rursus monasteria, prioratus, decanatus, dignitates, personatus, administrationes, officia, canonicatus & præbendas, & Ecclesias, cæteraque beneficia Ecclesiastica, secularia & regularia, cum cura vel sine cura, quæcunque & qualiacunque fuerint, etiamsi ad illa personæ consueverint seu debuerint per electionem, aut quemvis alium modum assumi, qui promoti per dictum prædecessorem, vel ejus autoritate ad Patriarchalium, ArchiEpiscopalium & Episcopalium Ecclesiarum, nec non monasteriorum regimina obtinebant, tempore promotionis de ipsis factæ, nunc quocunque modo *vacantia*, &quæ

(†) al. aut muneris consecrationis suspensionem.

(††) al. *ac abbreviatorum, nec non commensalium, & aliorum quorumlibet Capellanorum Sedis.*

& quæ per nos aut nostra autoritate in posterum (†††) *vacatura:*

Nec non etiam, quæ per assecutionem pacificam quorumcunque prioratuum, dignitatum, personatuum, officiorum, canonicatuum, præbendarum, Ecclesiarum ac beneficiorum aliorum, per nos, vel eundem Johannem prædecessorem, seu autoritate literarum nostrarum vel (††††) prædecessoris, collatorum seu conferendorum in posterum, nunc *vacantia* & in antea *vacatura:*

Plena super præmissis omnibus & singulis cum fratribus nostris collatione præhabita, & matura deliberatione secuta, ordinationi, dispositioni & provisioni nostræ, donec miserationis divinæ clementia Nos universalis Ecclesiæ regimini præsidere concesserit, de ipsorum fratrum consilio autoritate Apostolica *reservamus.*

Decernentes ex nunc irritum & inane, si secus super præmissis & quolibet eorum per quoscunque quavis autoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quibuscunque constitutionibus, à prædecessoribus nostris, Romanis Pontificibus, editis, quatenus obsistere possent supra enarratis articulis, vel alicui, vel aliquibus eorundem. Nulli ergo omnino homini liceat hunc paginam nostræ *reservationis* & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contra ire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli, Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Avinione, III Idus Januarii, Pontificatus nostri anno primo. (†††††)

Similem *reservationem* fecit Dominus *Gregorius Papa XI.* II. Kal. Januarii, ante coronationem suam, Anno Domini M CCC LXXI.

Simile fecit Dominus *Urbanus Papa VI.* videlicet die coronationis suæ.

Declaratio constitutionis
Ad regimen.

BENEDICTUS Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Dudum ex certis causis rationabilibus inducti, prioratus, decanatus, dignitates, personatus, administrationes, officia, canonicatus, præbendas, & Ecclesias, cæteraque beneficia Ecclesiastica, secularia & regularia, cum cura & sine cura, quæcunq; & qualiacunque forent, etiamsi ad illa personæ consuevissent seu deberent per electionem, seu quemvis alium modum assumi, quæ per assecutionem pacificam quorumcunq; prioratuum, dignitatum, personatuum, officiorum, canonicatuum, præbendarum & Ecclesiarum, ac beneficiorum aliorum, per nos, seu autoritate nostrarum literarum tunc collatorum, & conferendorum in posterum, tunc *vacantia* & in antea *vacatura*, ordinationi, dispositioni & provisioni nostræ autoritate Apostolica duximus *reservanda.* Decernentes ex tunc irritum & inane, si secus super præmissis à quoquam quavis autoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Verùm, quia, sicut accepimus, frequenter hactenus contigit, quod, cum alicui beneficium Ecclesiasticum obtinenti de alio beneficio Ecclesiastico vacante vel vacaturo providebamus, seu mandabamus per nostras literas provideri, dictum beneficium, quod obtinebat, pro eo, quod non se compatiebatur cum alio, de quo sibi providebamus, seu provideri mandabamus, ut præfertur, seu aliàs ex voluntate seu dispositione nostra tenebatur dimittere, quamprimum dictum secundum benefi-

(†††) al. ad eadem regimina promovendi tempore promotionis hujusmodi obtinebunt, nec non etiam &c.

(††††) al. ipsius Johannis.

(†††††) Al. 1335.

neficium existeret pacifice assecutus, idem obtinens ante assecutionem hujusmodi dictum primum beneficium simpliciter vel ex causa permutationis seu aliàs resignabat, & sic per consequens ipsum beneficium, ante dictam assecutionem ejusdem secundi beneficii, per ordinarium, vel alium, ad quem alias spectabat ejus collatio, contingebat conferri: Propter quæ dicta reservatio seu voluntas in eo casu suum sortiri nequibat effectum: Nos super præmissis providere volentes, autoritate præsentium, declaramus, nostræ intentionis fuisse, & adhuc existere, quod eadem beneficia per reservationem & decreta prædicta adeo essent affecta, quod etiam ante assecutionem præfatam, per resignationem simplicem, seu ex causa permutationis factam, vel aliàs quovis modo ea vacare contigerint, de ipsis per alium quàm per nos non potuerint neque possint in posterum alias provideri, seu quovis modo disponi.

Nos insuper irritum, prout est, decrevimus & inane, si secus super his à quoquam quavis autoritate scienter vel ignoranter attentatum forsan est hactenus, vel contigerit in posterum attentari. Nulli ergo omnino homini liceat hanc paginam nostræ declarationis & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. *Datum Avinionæ X. Cal. Novembr. Pontificatus nostri anno secundo &c.*